Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift

gauit. quod nam esset hoc. Et nunc interrogat israhel quare deus in gentium assump
tione laetetur. et emulatione cruciatur. paternam scire non potest uoluntatem.
Qui ait illi. Quia frater tuus uenit. et occidit pater tuus uitulum saginatum. quia
incolomem illum recepit. Causa letitiae. quod pari uoce indicant laudes toto
orbe concinit. salus est gentium. salus est peccatoris; letantur angeli. omnis in
gaudium creatura consentit. et de solo dicitur israhel; Iratus autem noluit intrare.
Irascitur se absente fratrem esse susceptum. irascitur eum uenisse. quem putabat
extinctum. Et nunc foris stat israhel. et nunc discipulis euangelia in ecclesia audi
entibus. mater eius et fratres foris stant. querentes eum. Egressus autem pater illius. coepit
rogare eum. Quam benignus et clemens pater; rogat filium. ut letitiae domus
particeps fiat; Rogat autem pater per apostolos euangelii predicatores. Ex quibus
paulus ait. Precamur pro christo. reconciliamini deo. Et alibi. Uobis primum
oportuerat annunciari uerbum dei. sed quia indignos uos iudicastis uite
eterne. ecce conuertimur ad gentes. Ipse autem respondens ait patri suo.
Ecce tot annis seruio tibi. Pater supplex ad concordiam deprecatur. ille ius
titiam que in lege est sequens. dei iusticie non subicitur. Porro. que ma
ior iusticia dei. quam ignoscere penitentibus. filium suscipere redeun
tem. Ecce tot annis seruio tibi. et numquam mandatum tuum preterivi.
Quasi hoc ipsum non sit preterire mandatum. saluti alterius inuide
re. ante deum se iactare iusticiae. cum nemo coram eo mundus sit. Quis
enim letabitur castum se habere cor. nec si unius quidem fuerit diei. David
confitetur. in iniquitatibus conceptus sum. et in delictis concepit me mater mea.
et in alio loco. Si iniquitates attendis domine. quis sustinebit. et hic dicit.
numquam se preterisse mandatum. totiens ob idolatriam captiuitatibus
traditus. Ecce tot annis seruio tibi. et numquam mandatum tuum preterivi;
hoc est quod paulus apostolus loquitur. Quid ergo dicemus. quia gentes que non sectabantur